AD GYMNASII POLEMICI MENCKENIANI DISQVISITIONEM PVBLICAM

DECENTER INVITAT

D. FRID. ALEXANDER KVNHOLD
INSTIT. PROF. P. ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR.

LIPSIAE D. XXI. AVG. MDCCXXVIII.

10

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by

VTrum minor ſub confeſſi et conuicti poena ad praeſtationem iuramenti purgatorii in cauſa criminali rite citatus, et non comparens, in integrum reſtituendus ſit, nec ne, dubia quaeſtio eſt, nec certa lege definita. In criminibus equidem aetatis ſuffragium minores non iuuare, nec malorum mores animi infirmitatem excuſare, voluerunt Imperatores Severus et Antoninus *l. 1. C. ſi adu. del. reſtit. poſtul.* ſecuti Tryphonini ICti ſententiam, quam ex eius diſputationum libris deſumtam, *l. 31. ff. de minor.* inſeruerunt Pandectarum compilatores, aetatis excuſationem aduerſus praecepta legum concedi ei non debere, qui dum leges inuocat, contra eas committit.

Digitized by Google

Quam legum diſpoſitionem ad vera delicta reſtringunt interpretes, BRVNNEMANNVS *ad d. l. 2.* PEREZ, alii, in iis vero delictis, quae culpa perpetrantur, reſtitutioni minorum locum relinquunt. Sed non vna omnium eſt ſententia, quaenam culpa reſtitutionem admittat, ipſeque, quem antea nominaui, PEREZIVS, ſibi non conſtare videtur, dum culpam negligentiae opponit, cum ſeparari nequeant, et culpa ſimiliter ac negligentia ſuos habeat gradus. Non autem inhaerendum eſt verbis *legis 2. C. ſi adu. delictum*, minoribus, non ex animo, ſed extra, delictum committentibus, in integrum reſtitutionis auxilium tribuentis, ſed altius inueſtiganda ſunt omnia; quibus rite perpenſis, et collata *l. 37. ff. §. 1. d. minor.* quae in genere in delictis minores mereri in integrum reſtitutionem negat, niſi quatenus interdum miſeratio aetatis ad mediocrem poenam iudicem produxerit, in eam adducor ſententiam, reſtitutionem in integrum in dicta lege non pro plenaria poenae remiſſione, et in priſtinum ſtatum reductione, ſed pro poenae mitigatione, accipi, atque in hac opinione eo magis me confirmat, quod in citata lege a minoribus culpa labentibus,

tibus, noxiam non committi, etiamſi poenae cauſa pecuniae damnum irrogetur, expreſſe ſancitum deprehendam. Ceſſat ergo reſtitutio minorum eo ſenſu, quo proprie iis tribuitur, vſurpata, aduerſus delicta, ſiue dolo, ſiue quauis culpa commiſſa, qua contra non indigent infantes, et improuiſo caſu alios laedentes, quos, poena affici non poſſe, expediti iuris eſt, vt minus accurate loqui videantur, qui infantes et infantiae proximos, *quoties* delinquunt, *toties* non puniendos eſſe ſtatuunt, cum plane non delinquere cenſeantur. Atque ex his, minoribus, legitimo modo ſub confeſſi et conuicti poena, ſiue ad reſponſionem, ſiue ad iuramenti purgatorii praeſtationem vocatis, non comparentibus, atque poſtea beneficium reſtitutionis in integrum poſtulantibus, non ſuccurrendum eſſe, colligi poſſe exiſtimaueris, idque eo tutius affirmari, quo certius eſt, veram contumaciam, ſiquidem ex dolo proficiſcitur, omnem reſtitutionem, excludere, *l. 8. ff. d. minor. l. 9. §. 2. et 5. ff. eod.* atque iſtam, quae citationi inſerta eſt, comminationem, inanem eſſe non poſſe. Verumtamen debiliora haec ſunt, quae pro negatiua militant, argumenta. Quis enim non videt,

 aliam

aliam eſſe, quam petunt minores, delictum confeſſi aut de eo conuicti, reſtitutionem, aliam, qua contra citationem comminatoriam, vbi nondum an deliquerint, ſatis conſtat, vti cupiunt. Et quis in dubio, vbi certa de hac re lex deficit, non mitiorem amplectatur ſententiam, et odioſa hac in parte reſtringenda eſſe concedat. Quot modis minores, rite citati, impediri poſſunt, vt ſeſe non ſiſtant? ergone ſemper vera aderit contumacia, ob quam reſtitutionis beneficium ipſis denegandum. Haud crediderim ſane durioris conditionis eſſe debere minores in criminalibus, quam in ciuilibus cauſis: atqui in ciuilibus cauſis, etiamſi ſub poena confeſſi et conuicti citentur minores, iis tamen, ſi non iacturae beneficii reſtitutionis clauſulam contineat citatio, ſuccurritur, quod cur in criminalibus, maioris praeiudicii plerumque cauſis negligi debeat, cum alias in hac de citationibus doctrina haud raro argumentum a cauſis ciuilibus ad criminales ducatur, non video. Atque hinc *in ſimili caſu Noſtra Facultas M. Octobr. MDCCXXVII. non condemnandum minorem, ſed ſub iactura beneficii reſtitutionis in integrum denuo citandum eſſe cenſuit.* Sed propius ad inſtitutum

acce-

accedo, et Nobiliſſimos Iuuenes, qui defenſionem atque oppugnationem diſputationum XXXI. quae Gymnaſio polemico Menckeniano continentur, diebus Mercurii, qui ſeorſim indicabuntur, alternis vicibus ſuſcepere, ſiſto. Defendet autem

IO. GOTHOFR. KNOECHER, Audigaſt. Miſn. Diſp. Iur. Publ. I. II. III. et Iur. Ciu. III.

MAVRITIVS RICHTER, Chemnic. Miſn. Diſp. Iur. Ciu. XI. XII. XIII.

CHRISTIANVS GOTTLIEB WICHMANN, Wieſenenſ. Miſn. Diſp. Iur. Feud. I. II. III. et Iur. Ciu. XV. XVI.

IO. PEZOLD. Numburg. Miſn. Diſp. Iur. Ciu. IV. V. VI.

IO.

Digitized by Google

IO. MICHAEL ERLMANN, Cygn. Miſn. Diſp. Iur. Ciu. IX. X. XVII. XVIII.

BENED. PARSKY, Schönau. Miſn. Diſp. Iur. Canon. I. II. et Iur. Ciu. VII. VIII.

IO. HENR. MYLIVS, Lipſienſis. Diſp. Iur. Nat. et Gent. I. II. III. et Iur. Ciu. I. II.

IO. NICOLAVS HESSE, Ebleb. Thuring. Theor. ac prax. arb. conſangu. et affinit. Diſp. I. II. et Iur. Ciu. XIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quorum ſtudium excitabit Veſtra, Generoſiſſimi, atque Nobiliſſimi Domini Commilitones, praeſentia, qua vt nos dignemini, peramanter rogo atque contendo.

EX OFFICINA TITIANA.